

neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto. Completa vero substantia est, quæ non ordinatur ex naturâ suâ ad constitutionem alterius, ut v.g. materia & forma; jam incompletæ substantiæ habent in se nullam subsistentiam. Dicitur (4.) *Incommunicabiliter*. Ubi ex Scoto *L. 1. Sent. Dist. 23. quest. unic.* notandum est, aliquid dici communicabile dupliciter, (1.) ut QUOD (2.) ut QVO. Communicabile ut QVOD dicitur, quod communicatur pluribus, quorum quodlibet est tale, quale est id, quod communicatur. Hôc modô communicabilia sunt Universalia respectu singulariû. Sic animal communicabile est homini & bruto: utrumq; enim horum est animal, cuiusmodi est id, quod communicatur. Communicabile autem ut QVO dicitur, quod alteri comunicatur tanquam pars aut forma: Ita partes integrantes comunicabiles sunt toti Integrali. Ita & Anima est communicabilis corpori vel homini. Subsistentia facit, ut aliqua res neutrô modô sit communicabilis.

§. IX. Hæc subsistentia naturam complet in ratione suppositi, quod dicitur substantia singularis, completa, incommunicabilis, e.g. Socrates, Alexander, hic Equus, hoc lignum. Dicitur (1.) substantia, ut excludantur accidentia, quæ non sunt supposita, (2.) singularis, quô ipsô excluduntur substantiæ universales, quæ itidem non sunt supposita. (3.) Completa, ut excludantur substantiæ singulares incompletæ v.g. materia, forma. (4.) Incommunicabilis, quo ipso significatur, suppositum neque communicari ut QUOD, neque ut QVO.

§. X. Hic jam non immeritô quæritur: an Suppositum in creaturis idem sit quod substantia prima? Affirmativam amplexus est Svarez. *Disp. Met. 34. s. 1. n. 9.* quando inquit: *Dicendum est, primam substantiam & suppositum in Creaturis reciprocè dici, imò in re idem omninò esse. Probat, quia in rebus creatis non potest esse natura substantialis singularis & individua communicabilis multis personis; est enim hoc proprium nature infinite.* Sed sententia Svarezii non est admittenda: etenim suppositum & substantiam primam in rebus creatis non esse idem, probatur exemplo Humanæ Christi Naturæ, quæ hóc ipsô, quod in utero materno fuit producta, creaturis est annumeranda. Atqui est substantia prima, est enim singularis Natura; Neque tamen hæc substantia prima est suppositum, alias enim in Christo essent duo supposita & sic  
duæ: